

Sepe expugnauerunt sepe afflictionibus affeceri me matrem omnium fidelium a primo tempore etatis mee unde in abel expugnata sum a fratre malo et perditio caym. Sepe expugnauerunt me a iuuentute mea. etenim non potuerunt mihi prevalere ut metrabarent in pensum peccati. dominus precio mea est. Sed cum palam nocere non possent nisi sunt occulte nocere. unde supra dorsum meum fabricauerunt peccatores insidias. i. ex ea parte insidias fabricauerunt. ex qua velut a dorso positi facile videri non possent et longo tempore continuauerunt iniquitatem suam. Sed hoc persecutio non durabit. quoniam dominus iustus ad humilitatem reducet colla superborum et ceruicorum peccatorum. confundatur de iniquitate sua. quod erit cum viderint se dampnari et conuertatur retrorsum. i. inefficaces et impotentes appareat omnes qui ex odio sanctam ecclesiam persecuti sunt.

Fiant audi et licet ab omni humano genere gratie et sine fructu bonorum operum sicut fenum tectorum quod quicquid cito cepit crescere tam cito arefcit. **D**e quo fenos. i. de quibus malis non implebit manus sua aliquo bono opere ad offerendum deo. angelus qui in fine mundi metet. i. separabit bonos a malis et sinum suum non implebit inde angelus id est. aliquam bonam operationem quam sit remuneratio de digna quia nullus in talibus fructus cooperietur quam manu vel sinu ab angelis portetur qui scilicet angelus manipulos. i. iustos colliget siue congregabit. **Q**uia superbis inanis operantibus nulla benedictio danda est. ideo illis malis. **N**on dixerunt sancti qui preteribant nos ad celestia benedictio domini super vos nec enim dixerunt benediximus vobis ex parte nostra in nomine domini quos nouerant in futuro iudicio iudicandos.

Psalmus. CXXIX. in quo monet ad penitentiam.

Propheta in persona penitentis. o

Domine ad quem est recursus verus clamaui ad te corde seruientem de profundis miserrum culpe et pene in quibus oppressus iaceo quod diu hic vivo domine ad quem solum recuro. quia solus potes liberare clamantes exaudi vocem meam. **C**raudi dico imo precor quia misericordia et clementia que aures tue dicit intendat in vocem deprecatois mee ut relaxet peccata mea. **N**on dico ut peccata dimittas. quia si iniquitates. i. peccata que aut cogitare aut sermone aut certo opere committimus obseruaueris ut secundum eas iudicare velis domine quis sustinebit te iudicem. certe nullus. **S**ed hec est una spes mea. **Q**uia apud te propitiatio est quoniam benignus et misericors es et prestabilis super malicia et propter legem tuam quam promittit penitentibus misericordiam sustinui patienter te flagellantem et premia differentem expectans misericordiam liberantem et iusticiam retribuentem. **P**ropheta conuersus ad audiuitores etiam ait. unusquisque sustinuit anima mea confidenter in verbo eius quod promittit et reddidit sustentibus adiutorium. imo etiam post veniam regnum. quod verbum dei quia nunquam fallit semperque verum est secure sperauit anima mea in domino. **S**ic anima mea sperauit et israel scilicet vir iustus speret in domino et hoc a puericia usque ad mortem aliter enim non prodest sperare in domino nisi sperauerit usque ad finem.

Ad sperandum est in domino. **Q**uia apud dominum misericordia cum pro nobis homo fieri dignatus est et copiosa apud eum redemptio cum non auro et argento. sed precioso sanguine suo nos redemit qui sufficiens est ad mille mundorum redemptiones. **E**t ipse filius dei qui solus sine peccato est. et non aliter potest redimere

Unde ipse qui potens est misericors et copiosus redimet israel populum fidelem ex omnibus iniquitatibus eius.